



Freiherr v. Ende-Schlossnitz

XXXIX.

Gratâ Favente Veritate!

THESES
INAUGURALES EX
OMNI JURE SELECT.

Decreto & Consensu

AMPLISS. FACULT. JURID. IN PERANTIOVI
UNIVERSITATE GERANÀ

PRO

LICENTIA

OVAM VOCANT, PROMOTA,
RITE, PUBLICÆ CONSECVENDA

die 20.[30] Martii, 1695. horis ante & pomeridianis

in Colleg. Major. Auditor. Jurid.

placidae Ventilationi submittit

GEORGIUS FRIDERICUS

VERGENIUS,

Spir.

ERFURTI,

Literis KINDLEBIANIS.

V I R VIII S
P R Ä E N O B I L I S S I M O , N O B I L I S S I M I S , E X
C E L L E N T I S S . C O N S U L T I S S I M I S atq;
A M P L I S S I M I S ,

DN. D. ULRICO THOMÆ
Lauterbach /

Sereniss. Duci VVURTEMBERGIE à Consiliis
Superioribus, ad Augustissimi CAM. IMP. Judicii,
quod nunc Werzlariae viget, ASSESSORATUM
Präsentato.

DN. D. JOH. ULRICO Zeller /

DN. D. GOTTHARD. JO. Marquart /

DN. D. GEORG. FRIDER. Müeg /

DN. D. JOHANNI Decherr /

DN. D. FRIDER. HENR. von Göllich /

DN. D. JOH. GEORG. Erhardt /

DN. D. JOH. ULRICO von Gölchen /

Jctis famigeratissimis,
Dominis Evergetis, Patronis, COGNATIS atq;
AFFINIBUS meis, omni Observantiae & Officio-

rum cultu etatem venerandis

In gratianimi tesseram, ulteriorisq; Patrocinii

ac Benevolentiae incitamentum

do, dico, dedico

Georg Friedrich Vergenius.

Ejusd. sup-
remi Di-
casterii Ad-
vocatis ac
Procurato-
ribus, di-
versorum
quæ Statu-
um Imp.
Consiliaris
meritissi-
mis,

CANDIDE LECTOR!



Iraberis forte, quod
Seculi hujus agone, ubi ca-
nus ipse Mundus regum
quasi suum anhelus expe-
ctat, presentia in studio
ciuo destituo moliar, maxi-
me juridico, ubi lites ex li-
te seruntur, atq; ex corru-
ptis Ethnicorum Legibus
deciduntur. Decentior e-
nim meditatio me occupa-
verit, quomodo ad Tribunal mox adventamis Judicis, mor-
tales omnes ad reddendas operum suorum ratiōnes citaturi,
tutus confidere queam, exemplo eorum, qui Carcere vincu-
lisq; detenti, toti sunt in eo, ut delibèrent, quid Judicis respon-
deant, aliarum rerum curas insuper habentes. Neq; ipse in-
ficias ire possum, per aliquot iam retrō annos me haud leves
in Iprudentiae studio subiisse scrupulos, dum nonnullorum
Judicūm partialitatem, Advocatorū plurimorum per-
veritatem, & Litigantium ualitiam, ubiq; verò maxi-
mam Morum corruptionem, gravem proborum oppressio-
nem, auriq; sacram famem, necon sexcenta alia mala ob-
servare, atq; attentiūs per Singularem DEI gratiam me-
cum penitare cœpi. In hisigitur dubiorum angustiis flue-
tuans, Divinum Numen devotè invocavi, ut de sanctæ
sua voluntate anticipitem animum meum, qualemcunq;
etiam

etiam res exitum sortiatur, certum reddere dignetur. Non
caruere preces haec cum aliorum ardenteribus votis juncte suc-
cessu, cum detectis, spectatisq; non juris solum Prudentiae,
sed ceterorum penè omnium tam superiorum, quam infe-
riorum ordinum, studiorum, ac statuum corruptelis, ubi vis
aliquid invenirem, quod effugere nitebar, immo præter opinio-
nen verum ac sanum legitimi studii usum ab abuso pro di-
versitate statūs, cuilibet hominum generi proprii, discer-
nendum esse, magis magisq; indies convinceret, tandemq; cui-
libet mortalium ordinariè certum aliquod vitæ genus eli-
gendum esse reputans, suffragium Conscientia meæ ad hoc
ridem aggrediendum sentirem, ita tamen, ut nihil interim
proprio nisu affectans, Divine me Voluntati prorsus resigna-
verim. En ex improviso non solum impedimenta, que mihi
ad huc maximè obstare videbantur, mira DEI Providen-
tiæ removentur, sed & per extraordinariam aliorum Be-
neignitatem ea mihi ad Proximi commoda promovenda of-
fertur occasio, ut eam recusare esset talentum concretum
abscondere vel fata subterfugere. Vie igitur à Divino
Hodogeta mihi monstratæ insystens, ipsiusq; Directioni me
porro commendans, finitis proximis feriis Wetzlariam iter
instituam. Quo vero ibidem voti mei compos fieri que-
am, Styli Cam. & necessitatis ratio postulat, ut ad publicam
minimam Licentiam aspirarem, ac pro eâ, post jamjam ex-
antlatos Examenum, Lectionisq; Cursoriae labores, legitimè
obtinendâ Theseshasce ad Disputandum feligerem, quas ut
benevolus Lector æqui boniq; consulere velit, est quod ob-
nixè rogito.

THE-



THES. L.

EX JURE NATURÆ.

Uis hoc sine supernaturali veræ Fidei Lumine probè atque exactius investigari, exponi, vel intelligi nequit.

Exegetis.

Cum enim Divina illa imago, quæ conformitatem hominis cum SS. Trinitate continebat, Gen. I, 26, per lapsum Protoplastorum ita perdita fuerit, ut ob summam omnium Animæ facultatum perversitatem, intellectus cæcitatem, voluntatis atque appetitus distorti pravitatem, vix umbra rectitudinis primævæ & litera quasi obtusa nitidissimi Typi remanferit. Dn. OSIANDER in *Typo Legis Nat.* §. 44. p. 167. quemadmodum reliquiarum harum corruptionem ex multis Gentilium Legibus & Consuetudinibus abunde certimus. Christus autem per Virtutem suæ Incarnationis pristinam illam integritatem restaurarit, ut ipsius Spiritus renatos, etiam quoad intellectum, illuminet, rationemq; humanam sanctificet; oppido patet, tales, vi dijudicandi naturali præ ceteris præditos longè pro-

A

fun-

fundius atque accuratius Jus Natur: per Lumen hoc internum discernere posse. Add. pientiss. Theologus ARNDIUS de Vero Christianismo L. I. c. I. § c. 41. item Lib. 3, cap. 10. II. ibiq; VAREN.

TH. II.

Quamvis ea, quæ sunt juris Nat. ut loquuntur, permissivi [de quo tamen vid. Dn. MAIER in Com. Inst. p.m. 47. & 71.] à Poteestate civili restrin-
giac determinari possint. L. 6. ff. de Just. & Jur.; In id tamen incumbendum, ne libertatem natu-
ralem nimis rigorose circumscribendo, Subditis
ea, quæ DEus & benigna Natura hominibus in-
dulgent, sine causa justiore auferamus. arg. S.
ult. f. de his qui sui vet al. iur. L. ii. ff. de R. I. uti-
fit in Venatione [a] & Thesauro [b] quando Su-
perior ea sibi soli, omnino exclusis reliquis Socie-
tatis Civ. membris, arrogat.

Exegesis.

(a) Sine præconceptā opinione perpendenda ve-
nit DEI T. O. M. concessio facta Gen. I, 26. 28. & post lap-
sum repetita Gen. IX, 2. 3, quæ toti generi humano tale
jus in feras tribuit, ut iis ad usum necessarium dominari
valeat. Explicationem autem quorundam, ac si fero-
fissimæ etiam fera ad primum hominis conspectum ex-
pavescant & fugiant, non euro, cum non modo contra

tex-

textum, ubi terror in specie ad dominatum, cibumq; ex-
tenditur, sed & contra experientia sit, quâ bestias nobis
potius, quam nos illis, terrorē incutere docemur:
neque etiam officit locus *Jerem. XXVII, 6.* & *Dan. II, 38:*
dum casum specialem, ubi DEus Nebucadnezare, tan-
quam Monarchâ & Venatore hominum, ad puniendos
hosce uititur, ad alios tam absolute ampliare, non vide-
tur tutum: neq; Verba Baruchi c. III, 16. seq. de jure, sed
de illicito facto atque abuso Dominantium loqvuntur:
Et distinctionem dominiorum eō usque factam fuisse,
aut fieri à Superiore solo posse, ut privati ne quidem
ea, quae ad vietum & amictum iplis necessaria sunt,
sibi reservaverint, aut habere debeant, fini gubernationis
politicæ harmonico, & primæ societatem ine-
uentium infentioni repugnat, quæ necessariam sui con-
servationem alterius, qui jamjam ex bonis domianiali-
bus atque aliunde Dignitatē suam satis sustinere pot-
est, præfert, nec subditorum injuriam, jus ex ipsâ Crea-
tione quæstum, atque à supremo rerum omnium Do-
mino cuivis eorum datum, auferendo quærerit. *Conf.*
Ezech. XLV, 7. 8. & *XLVI, 18.* *Dn. G. H. Brückner* eleg.
Tr. de Domaniis Regni Germ. c. 4. Causæ, quas in con-
trarium sub prætextu publicæ privateq; utilitatis com-
muniter urgent, ex supradictis & Reip. tam Rom. quam
hodiernæ exemplo, necnon ex iis, quæ *Dn. MANZIUS*
in Comm. Ratio - Reg. §. 12. J. de R. D. à n. 44. ad 48. *Dn.*
ZIEGLER de Jurib. Maj. l. 2. c. 14. à §. 18. ad 20. & *LUDWELL*
ad Wef. t. de A. R. D. n. 7. verb. *Et hec nunc præcip. ratio,*
infim. habent, facili negotio refutantur. Inde cum ne-
que ab ipso LLatore humano, tanquam inferiore Di-

vino, neque ab antecessoribus meis vel alio quovis invitatus & præter culpam meam jure hoc, ex Benignitate ac Providentia DEI mihi primum acquisito, privari queam: iniquissimum erit, ob actuale juris hujus exercitum capitalem imponere vel decernere poenam.
 LUDWELL. d. l. verb. sed multi dubitant. Dn. BECMAN
Grot. l. 2. c. 5. p. 315. Piè hanc in rem ait Sächs. Landes-
 Recht l. 2. Art. 61. Da Gott den Menschen schuf/ gab
 Er ihm Gewalt über Fisch und Vogel/ und über alle wil-
 de Thier/ darum haben wir des ein Urkund von Gott/
 daß Niemand sein Leib noch seine Gesundheit an diesen
 Dreyen verwircken möge. Consonat his Alemannium
 cap. 237. cit. à Dn. SCHILTERO ad ff. Exerc. 45. §. 6. p. 157.
 & Schwaben-Spiegel tit. 36. §. 2. Add. Noë MEURER
 vom Wasser-Recht teste Vol. Nov. Basil. Disp. I. parti-
 posse. ih. 3. lit. b. p. m. 86. scrib. Das Gott von Anfang
 das Wildprei und die Fische mächtlichen frey/dem Armen
 wie dem Reichen/ erschaffen/ die armen Unterthanen zu
 Seiten auch aus Gewalt und gezwungen den Herren sol-
 chen Lust und Nutzen eingeräumet/ darum wiederum die
 Herren sich solcher der Unterthanen Bevilligung und
 Nachgebung besser zu erinnern/ und wegen empfange-
 ner Guthat nicht so ernstlich gegen der Unterthanen Leib
 und Gut und vielfältiger Marter halben verfahren sol-
 ten. Bene tamen addendum, quod stante sententiâ
 meâ neque Superiori, tanquam primario civilis Socie-
 tatis membro, pro rata sua Venatio deneganda, neque
 potestas ferendi Leges circa eandem salutares, quibus
 omnis privatorum abusus salvo tamen usu & jure ipsis
 pro necessitate competente, prohibetur, adimenda sit.

(b) Quo-

(b) Quoad Thesaurum, quem quis fortuitō in fundo suo invenit, notandum, quod, dum Superiores aliunde jam satis habent, quo se dignē exhibeant, sicuti ex nimio luxu & Prodigalitate v. g. Lud. Bacchanal. (Carneval.) constat, vel si non habeant, subditis ob detractionem seu ademptionem Thesaurorum, Compensationis quodam jure, non tam multa onera quotidie imponere debeant [quod tamen corrupto seculi nostri more non attenditur] major sane ratio sit, ut misericordis DEI beneficium ac donum l. 63. §. 1. & 3. ff. de A.R.D. L. un. C. de Thesaur. inventori, praeferim pauperi, naturalem exemplo Hadriani Imp. in §. 39. J. de R. D. aequitatem sequendo, relinquant. Conf. cit. Dn. ZIEGLER c. 20. §. 19. NÆVIUS Resp. Seiffart de Jure Thesaur. cas. 3. in fin. cum quo verbotenus convenit Stark Präf. Dn. Pet. MÜLLERO de Jure inventi Thesaur. th. 8. lit. (γ) Quod etiam Praxis Germaniae atque Imperialis Cameræ servat. Dn. MAURITIUS in Miscellan. aliquot juris Post. Resp. Lindtholz Ao. 1668. Kilom. hab. th. 24. Dn. Lauterbach V. 1. D. 27. th. 31. Dn. MAIER ad d. §. Inst. p. m. 350. Dn. STRUV. Ipr. for. l. 2. t. 1. apl. 56. GLÆSER de Thesauro th. 71. ubi ante 30. annos ab incluto Helmstad. Colleg. ita responsum esse testatur.

TH. III.

Polygyniam simultaneam jure Nat. permittam esse, affirmo, ast eandem ob id omnibus hodie liberam esse nego, quamvis in casibus non nullis v. g. ubi alter Conjugum durante matrimonio

monio impotens sit nec alter post adhibita me-
dia se continere valet, dispensationem conce-
dam; (a) Aliud tamen quoad rectitudinem
Christianam statuens. [b]

Exegesis.

(a) Rationes solidas exhibent Dn. HIER. BRÜCKNE-
RUS in *Decis. Matrim.* c. 14. & 23. Dn. TEXTOR de *Jure
Gent.* L. 3. n. 29. seqq. Dn. THOMAS. in *Inst. Iur. Prud.* *Div. L.*
3. l. 2. §. 293. seqq. & in *Disp. de Crim. Bigamia* §. 23. Dn. G.
H. Brückner Resp. Marggraf Disp. de *Conjug.* th. 14.
(b) Vid. *Matth. XIX.* 4. II. 1. *Tim. III.* 2. 12. *Tit. I.* 6. *Cantic.*
VII. 8. 1. *Cor. VII.* 1. & *XI.* 3. *Eph. V.* 23. seqq.

TH. IV

EX JURE CANON. ET ECCLES.

Sicut Ecclesiæ Christianæ fundamentum ac pri-
mordium est redunitio hominis regenitum Deo, quæ
interna *Luc. XVII.* 20. *Coloff. I.* 27. *III.* 3. 2. *Tim. II.* 19. &
per omnem terrarum orbem diffusa est *Rom. XI.* 4. s.
imò radix, substantia & veluti anima cœtūs externi, in
quo publica viget communio inter ipsa societatis intrin-
secæ membra, ita tamen, ut ad hanc invisibilēm, Conf.
Dn. CHEMNIT. ad *Dieteric. Inst. Catech. Loc.* de *Ecclesia*
controv. I. Dn. GERHARD *Confess. Cathol.* l. 2. art. 5. App.
Ecclesia communis externa præcisè necessaria non sit.
Dn. SCHILTER *Inst. iur. Can. L.* 1. t. 3. §. 1. & de *Libert. Ec-
cles. Germ. cap. I.* §. 2. seqq. Ita qui genuinus Ecclesiæ

Mini-

ORIOTTI

8 A

Minister esse cupit, antè sit internæ Ecclesiæ pars necesse est, quām externe vocetur, *Joh. III, 3.4. X, 1. seqq.* 2. *Cor. II, 17. Dn. CARPZOV. Iprud. Confst. defin.* 62. qualis externa Vocatio licet ex præscripto Concilii Trident. de Sacram. Ord. c. 4. per solum Clerum fieri debeat; Divino tamen juri *Act. I, 15. 23. 24. VI, 2. 3. XIII, 2. 3. XIV,* 23. &c. convenientius videtur, quod negocium omnes tangens, c. 23. *de R. l. in 6.* hodie tam à Magistratu, quām Clero & populo veris Ecclesiæ membris approbandum veniat. *DIL. BRUNNEMANNUS de Jure Ecclesiast. c. 5. §. 1.*

DIETERICUS in Inst. Catech. de Vocab. Ministr. Verb. q. 6. p. m. 468. Dn. GERHARD d. l. L. 2. p. 2. art. 6. c. 1.

TH. V.

Parœciamus utut Canonum iure licentiam rece-
dendi a proprio Sacerdote impetrare debeat. *can. ult. de
Pœnit. dist. 6. cap. omnis urbisq. 12. X. ead.* quod ex nostra-
tibus quidam ad Consistorii arbitrium extendunt. Dn.
STRYK ad Brunnem. lus Ecc. L. 2. c. 1. m. 4. §. 3. Attamen
si Pater Confessionarius admonitus, Nomen DEI profa-
nare, *arg. Catech. D. Lutheri Petit. n. ibi:* Wer aber an-
ders lehret und lebet/ denn das Wort Gottes lehret / der
entheigt unter uns den Namen Gottes/ da kehrt uns
für/ himmlischer Vater. Vel sacrum Verbum impure
proponere perget , jure Divino secus esse arbitror, *arg.*
Matth. VII, 15. XV, 14. Joh. X, 5. Rom. XVI, 17. 1. Tim. VI, 5.
2. Tim. III, 5. 2. Joh. 10. seq. Conf. Endl. Antwort der Theo-
logischen Facultät zu Wittenberg auf der Anhaltischen
Prediger publicirte endliche Absertigung / in Praef. ibi:
Zudem/ so gebet nur acht auf ihre Werke/ da werdet ihr
aber

abermahln den Teufel leicht kennen / denn öffentliche Lü-
 genreden / Lästerin / Götzen und anderer Christen Wort
 verdrehen / allerley Teutscherey und Spötterey üben / &c.
 das sind ja nicht Werke Gottes / sondern des Satans / &c.
 Dieweil ihr dann diese Kennzeichen an solchen Lehrern
 habt / so kan euer Gewissen desto sicherer und geruhiger
 von ihrer Communion und Gemeinschaft sich abschon-
 dern / und sie als verdamnte Belials-Knechte fliehen.
 Add. seq. pag. 36. &c. 286. in fin: daraus sie denn
 ja wohl merken werden / daß solcher Leute Geist und
 Werk nicht aus Gott ist / sondern aus dem Vater aller
 Lügen und Mords / und sie derenthalben als des Satans
 Apostel meiden. Adeo ut si forte Parochi paclum invi-
 cem ineant, quo Parochianus [vi Conscientiae suæ, &
 non ex odio erga sacerdotem, neque ex contemtu erga
 S. Ministerium, recedere volens] ab altero non recipia-
 tur, sacris literis adversum nec obligatorium credam
 arg. I. Cor. III, 5. 2. Cor. I, 24. IV, 5. 1. Pet. V, 3. L. 15 ff. de
 Cond. Instit. Add. D. Lutherus Tom. I. Altenb. in
 Tr. von der Beicht fol. 792. Es sollen alle Sacra-
 ment frey seyn iedermann; Wer nicht getauft will seyn / der
 lasz ansteben / wer nicht will das Sacrament empfahlen/
 hat sein wohl Macht; Also wer nicht beichten will / hat
 sein auch Macht für GOTTE. & ibid. fol. 797. Ich wolte
 predigen den Glauben und die Tauffe / aber Niemand
 darzu zwingen. It. Ich wolte predigen des Sacraments
 des Altars Gnade / aber doch frey lassen / Niemand darzu
 zwingen. Facit etiam hic ejusd. Postill. Dom. II. Ad-
 vent. ibi: Man soll in allerley Dingen der äußerlichen
 Sazung der Dinge / so an sich selbst frey und nicht wieder
 den

den Glauben und die Liebe sind / den Unterscheid haben /
 daß man sie halte aus Liebe und Freyheit / zu Willen den
 andern / bey denen man ist / daß man sich mit ihm reime
 und siuge : Wenn sie aber dringen / man müsse und solle es
 bey Gehorsam halten / als röthig zur Seligkeit / da soll
 man solches alles lassen / und das Widerpiel thun / zu be-
 weisen / daß nichts nöthig einem Christen / denn nur Glau-
 ben und Liebe / c. Das soll auch in Ceremonien / Gebe-
 ten / Gesang und allen andern Kirchen-Ordnungen ver-
 standen werden / so lang man solches aus Liebe und Frey-
 heit thut / c. Wenn man aber darauf dringet / also
 müsse es seyn / sobald soll niemand wieder thun und es las-
 sen / um die Freyheit des Glaubens zu erhalten / c.

TH. VI.

Benedictionem Sacerdotalem jure Divino
 Naturali ac Revelato, nec non Civili Justinianeo
 ad ipsam Matrimonii simpliciter considerati es-
 sentiam non requiri certum est. Jus vero Pon-
 tificium, & in specie Concil. Trident. *Seff. 24. c. i.*
 nuptias sine hac planè irritas facit, nimirum ad
 evitanda plurima mala atque adulteria. Dn.
 SCHAMBOGEN *ad pr. Inst. L. 1. t. 10. q. 1. p. m. 92.*
 De Consistoriorum nostrorum Moribus idem
 probat Dn. HOCHMANN in elaboratiss. *Tr. de*
*Benedict. Nuptiar. c. 6. th. 3. seqq. adeò ut nec li-
 beros antè natos censeat legitimos th. 27. seqq.*

B

Cui

EINUND

Qui licet hypotheticè & jure hodierno stricto calculum haud denegem; receptior tamen in Praxi sententia videtur celeberr. Cam. Imp. Assess. Dn. ab Ebyen / dist: An Statutis specialibus ca- veatur tantum de piè adhibendo ritu isto: An simul nuptiæ pronuncientur nullæ. Priori casu hæ subsistent, ita tamen ut partes ante Bened. Sacerd. concubentes pro circumstantiarum ac personarum qualitate puniantur atque ad suscipiendam consecrationem adigantur: si verò haec, v. g. ob alterius mortem, non amplius adhiberi queat, liberi fortè progeniti justi habeantur; Add. Dn. STRYK *de Success. ab intest. D. I. c. 2. §. 49.* Dn. BRÜCNER *Decij. Matrim. c. 2. n. 17.* Posteriori casu clausula cassatoria effectus suo gaudeat. *In Observ. Theorico Pract. V. ad §. 12. J. de Nupt. p. 51.* Dn. MÜLLER *de Hierologia sect. I. th. 8. seq.* Dn. SCHÜTZ *in Compend. Lau- terbach. t. de R. N.* NICIUS *in Disp. Inaug. Ao. 1680. heic habita de Virtute Legis implicitè prohib. §. II. 6.*

TH. VII.

EX JURE CIVILI.

Advocatus (a) non solum causam injustam,
quam

quam vel initio vel progressu litis tales animad-
vertit, nec suscipere nec prosequi debet. L. 14. §.
1. C. de *Jud.* etiam si juraverit se ad finem usque li-
tis patrocinium præstiturum. Dn. Lange edit.
Dn. Herold in *Isag. Process. c. 20. n. 53.* Dn. Lau-
terbach *Colleg. ff. de Postul. th. 17.* Sed etiam in cau-
sa justi neque Actione & exceptione, quam vere
in conscientia non competere novit, (b) neque
fallaciâ seu mendacio ad Antagonistæ menda-
cium seu fallacias eludendas, neque ullâ cautelâ,
quamvis speciosè fucatâ aut probabili, perperam
vel ad obruendam Veritatem vel ad supplan-
tandum Adversarium uti potest. arg. Rom. III,
8. L. 6. §. L. in fin. ibi: Subdolè. C. de *Postul.* Räh-
serl. Cammer-Gerichts-Ordn. p. 1. r. 64. in for-
mula juram. Advoc. ibi: Keinerley Falsch/ Ge-
fährde/ und Unrecht brauchen. Consentit forma
jurisjur. Licentiandis communiter hic præstan-
di, ibi: neque male causa scienter inservire,
multo minus subterfugiis, calumniis, vel ca-
villis pro illâ fulcienda ullam operam impende-
re. Add. Dn. BRUNNEM. in *Jure Eccles. l. 1. c. 6. th.*
20. Et seqq. Dn. STRYK V. 2. D. B. de *Conscientia*
Advoc. c. 3. n. 54. seqq. Dn. STRUV Resp. Brem
Disp.

Disp. de Dolo bono Advoc. c. 3. th. 2. seqq. ubi
contrariis respondet. Dn. SCHRÖTER Fascic.
Casuum in foro Conscientiae jurid. decis. 3. pag.
m. 25.

Exegeſis.

(a) Quandoquidem enim partim ob Theologiae
moralis ignorantiam, partim ob indistinctum ac promi-
scuum LL. Rom. ab Ethniciis promanatarum usum, par-
tim ob quorundam malitiam proæreticam, communiter
nequissimum, male audiant Jcti atque Advocati: Ju-
risten böse Christen/Advocaten haben entweder kein Ge-
wissen oder ein weit Gewissen/unde & Joh. Pet. Ala, cum
legeret, subulcum quendam multum laborasse, ut por-
cos ageret in suile, atque indignatum exclamasse: En-
tartandem in hoc Stabulum, sicut Procuratores & Advocati
in infernum; & continuo gregatim introivisse omnes,
Advocaturam relinquere voluit. Mart. Herzog Præl.
Dn. TABOR. Disp. de Advocatis th. ult. Majori sanè cau-
telâ unicuius opus erit, ne cauteriata fiat ipsius Consci-
entia, sed cordi, memorieque fideliter infigendum su-
premi Advocati nostri Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 25. 1. Joh.
II, 1. ibi: Haben einen Fürsprecher (Advocaten) bey dem
Vater/Jesus Christum/der gerecht ist: effatum Matth.
VII, 12. Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, ea-
dem faciatis & ipsis: Conf. Joh. Phil. Erb Disp. Inaug.
proximè præterito anno hab. Altdorffi de Officio Advoc.
c. I. sect. 1. §. ult. & sect. 2. §. 2. ubi pro qualitate intrinsecâ
requirit, ut sit Vir bonus moraliter talis, qui custodiat
recti-

rectitudinem sive conformitatem animi, ejusque facultatum & actionum, quantum in hac vita datum, cum Voluntate DEI, i.e. Lege Nat. & Divinâ. Merentur addi versiculi Vulg.

*Judicabit Judices (Advocatos) Judex generalis,
Reus condemnabitur, nec queretur qualis.
Ibi nihil proderit quicquam allegare,
Neq; quid excipere, neq; replicare,
Nec ad Apostolicam Sedem appellare,
Neq; Corpus Juris Casariorum citare,
Reus condemnabitur nec dicetur quare.
Cogitate miseri, qui & quales estis,
Quid IN HOC JUDICIO dicere potestis?
Hic non erit Codice locus nec Digestis,
Idem erit Dominus, Judex, Actor, Testis.*

Si quis igitur Iustitiam in primis Divinam probè observet, & ad hujus normam afflictiissimo hodie Proximo purâ mente stupertas ferat, à Veritatis scopo proprius abludet id, quod Autores allegati à Dn. STRYK in d. Disp. c. 1. n. 21. testantur: *Advocatos bonos meliorem ducre vitam, quam Predicatores.*

[b] v. g. Si talis Advocatus verbaliter injuriato AEstimatoriam suadeat. HEIDECC in discuss. jur. quest. hujus; Vel Mulier, bono iudicio prædita, intercessisset, & deinde SCtum Vellej. vitandæ solutionis ergo prætendere vellet. Conf. Dn. CARPOV p. 2. Conf. 15. def. 13. seq.

TH. VIII.

Actio rescissoria contra Præscriptionem longissimi temporis completam ex causa justi erro-

ris, l. 2. ff. de in integr. rest. seu ignorantiae invin-
cibilis, iuste conceditur.

Exegesis.

Non me latet, opinionem contrariam de jure theo-
rico multis gaudere propugnatoribus, ne scil. totum u-
sucaptionis ex bono publico ad abbreviandas lites intro-
ductae fundamentum corruat, dum nemo sciens res su-
as usucapi patierit. ARUMÆUS Exerc. 6. th. 24. HUN-
NIUS Var. Resol. l. 2. Tr. 3. q. 16. BESOLD Delib. jur. l. 4. q.
20. Verum si positionem meam de casu excepto intelli-
gam, quem Judge ex aequitate permittit, usitatiorem Dn.
GAILI l. 2. Observ. 19. in sua sententiam cum E. F. Ether
Inaug. Ao. 1686. Argent. hab. Dec. quest. jur. 2. & J. H. Duns-
cker Resp. Nos hic anno sequenti hab. Disp. de Prescript.
dorm. th. 9. defendam, ad contraria in conflictu respon-
surus. Hoc etiam in Foro Conscientiae, si praescribens in
lucro moraretur, obtinere bene monet Dn. BRUNNEM.
de Jure Eccl. l. 1. c. 6. §. 21.

TH. IX.

Reluendi pignoris juri, si Debitum nondum
à Creditore solicitatum, nec à debitore legitime
oblatum fuerit, praescribi nequit.

Exegesis.

Casum pro majori dilucidatione apponere, fortas-
sis haud abs re fuerit. Finge Mevium obrutum ære alieno
quotidie de persolvendo illo moneri, hinc, ut se one-
re hoc liberet, à Titio divite Mercatore 600. Thal. mutuo
acci-

accipit, atq; in debiti hujus securitatem vasa quædam aurea pignori trædit. Præterlapsis demum 30. vel 40. annis offert istam summam, & oppignorata vasa sibi à Creditore Titio restitui petet. Hic præscriptionem opponit & se pignora hæc per tantum temporis intervallum acquisivisse excipit. Quær. an jure? Pro Titio faciet, quod omnia jura specialiter non excepta eo tempore tollantur. L. 3. & seq. C. de Præscr. 30. ann. quod eò magis hic locum habebit, ubi debitor in mora fuit, ut ex potestate ipsi quandoeunq; competente sibi actionem statim per contractum pignoratuum perfectum natam non usurparerit, adeoq; sic impedimentum facti præscriptioni obstante removere. Pro Mevio vero actore dicendum, quod ipsius libero arbitrio facultatem offerendi (quæ sub colore præscriptionis ipsi invito, atq; extra pecuniam constituto auferri non debet) Creditor ipse permiserit, quâ demum oblatione factâ, l. 9. §. 3. & l. 11. de pign. act. tanquam causâ proximâ Creditoris obligationis de restituendo pignore, incipit ius, actionem cum effectu (ne Creditor, qui tamen aliâs facilius solutionem per actionem urgere, quam Debitor, forte pauper, pecuniam debitam exsolvere potest, excipiat) intentandi, dum illa reverâ sub tacita, (quæ à jure intrinsecus subintelligitur. §. 41. I. d. R. D.) conditione, fecuturæ scil. satisfactionis, concepta est, ante cujus existentiam, videlicet in fin. de V. S. præscriptio in nihilo currere valet. Add. Wilh. Matthias sub moderno Fac. jurid. spectabili Dn. DECANO ante 4. años hab. Disp. de Differentiis aliusq; Contractuum real. notab. c. ult. in fin. WISSENBACH ad ff. D. 40. b. 32. FIBIG ad Fr. Exerc. 5. q. 6. SCHOTAN. Disp. ff. jurid. 32. th.

32. th. ult. Dn. MOLLENBECK *Cent. 2. Divis. Jur. 24. n. 25.* AD-
DITAM. ad HANEDOES. *Exerc. 10. q. 2.* Dn. SCHILTER ad ff.
Exerc. 26. §. 13. seqq. ZOES. ad ff. t. de *Uſu ap. n. 41.* Dn.
STRYK *Disp. ſuā Inang. ad L. Emilius c. 3. n. 27.* Quæ Do-
ctorum metaphysicas subtilitates non attendentium o-
pinio in supremo Cam. Imp. Dicasterio, Moribusq; rece-
ptissima. Dn. KLOCK Vol. 2. *Consil. XLI. n. 193. seqq.* ubi
ultra triginta Doctores allegat. & Dn. MICHAELIS ap.
eund. *Consil. 45. n. 106.* item in *Vot. Cam. Relat. I. n.*
197. Rel. 3. n. 353. §. 357. ac *Rel. 102. n. 29.* Dn. BRUNNEM.
ad L. 9. §. 3. ff. de *Pign. At. n. 8.* ubi plurimi citantur. Dn.
LYNCKER in *Analect. ad Siruv. S. I. C. p. m. 181. & 248.* &
æquior est, Dn. Lauterbach *Colleg. ff. Lib. 13. t. 7. §. 23.* ne
missus) ibi

TH. X.

Rem non deditis impensis restituentia nullum de
jure Justinianeò remedium ad illas repetendas compe-
tit, per easquæ docent Dn. RENNEMAN. in I. R. G. de *Jure*
Rer. D. 12. th. 27. Dn. BEIER in *Not. ad Schnob. ff. D. 5.*
th. 26. verb. *Exceptione.* UMMIUS in *Process. D. 22. th. 3. n.*
12. Beckmann ad ff. t. de A. R. D. n. 63. seqq. Busius ad L.
33. ff. de *Cond. indeb.* WISSENBACH de V. & R. *Signif. th. 9.*
MANZIUS *Comm. Ratio - Regul. §. 32. f. de R. D. n. 9.* Dn.
HOPPIUS *Resp. Schöpfer Disp. de Compensatione Fru-
guum cum Impensis M. 2. th. 5. seqq.* ubi obstantia diluit;
Hodiernis tamen Moribus ex æquitate merito aliud ob-
servatur. Dn. SCHILTER *Prax. Juris Rom. in Foro Germ.*
Exerc. 16. th. 57. MOLLENBECK *Centur. 2. Divis. jurid. 48.*
n. 12. Landgraf *Præf.* Dn. Petr. MüLLERO *Disp. Beati po-
sidentes p. s. i. seqq.* Quod in foro quoq; Conscientiae re-
ctum

Etum ait VALER. de Differ. utriusq; fori. voc. *Expensa*.
 Dn. W. H. BRÜCKNER Resp. Christoph. Fries. *Diss.* de
Eo quod justum est in foro ext. & intern. c. 3. §. 3. idemq; ex
 Charitatis Christianæ debito requirit Dn. FRITSCH de
Jure ac regimine Charit. Christ. in Negot. Civil. th. 33.

TH. XI

EX JURE FEUDALI.

Expectativâ pari modo duobus in Feudo
 gratiose concessâ præferendus est posteriori pri-
 or, licet ille bonâ fide possessionem occupaverit.

Exegetis.

Negari nequit, eam hîc esse mentem atq; intentio-
 nem Domini erga primum Vasallum, quod is per impe-
 tratam Expectantiam jus potius præ omni alio tam quo-
 ad dominium quam possessionem existente casu habere
 debeat, sicut naturaliter præsumitur, vid. Dn. ab Eyben
 in *Elect. jur. feud. c. 4. §. 9.* Dn. Brückner Resp. Brandis
 de *Curiosis jur. feud. th. 59.* Conf. arg. 2. F. 33. arg. C. 13. 14. de
Rescript. in 6. c. 17. de Præbend. cod. ubi nudis verbis res
 priori acquiritur. Et publicè interest voluntatem Domi-
 ni, qui conditionali investituræ promissione bene me-
 ritum remunerare velle censerur, ratam haberi 2. F. 26.
 §. 2. Promissario igitur priori statim plenè tale jus quæ-
 ritur, ut hoc ipsum alteri ulterius promittendi faculta-
 tem nullam habeat Concedens, adeoq; nullum etiam jus
 in posteriore derivare valeat arg. L. 3. §. ult. ff. de his
 que pro non script. l. 29. l. 54. l. 74. 75. & 154. de R. I. c. 33.
 cod. in 6. Quod enim concessio posterior ex obliuione
 priori

prioris facta sit, tantum abest, ut praesumti queat, quin potius Princeps importunitate impenetrantis circumventus arg. L. 2. C. de Fund. & saltib. rei domin. L. 5. C. de Locat. præd. civil. Dn. MERCKELBACH ap. Klock. Consil. 7. n. 292. Dn. ITTER de Feudis Imp. c. X. §. 4. &, dum ille fons iustitiae ac Lex DEI animata longissime remotus ab omni mortalitate, imo constantissimi atque immobilis animi, tanq. Lapis angularis & polus in celo, esse debet, regulariter etiam velle credatur, quod causam ab ipso habens de jure acquisito perpetuo securus esse, neq; ab ullo molestari possit arg. L. 2. & 3. C. de Quad. præscr. maxime dum aperto feudo ad Dominum revertitur possessio, quam tempore quoq; prioris concessionis jamjam in casum aperturæ habuit, quo passu procedit sententia cit. Dn. MERCKELBACHI d. l. n. 2. Conf. Dn. FRANTZK. L. 3. Resol. 1. n. 67. Facit huc quodammodo HEIGIUS p. 2. q. 29. n. 20. 35. 40. & 41. Add. 1. F. 22. ubi Vasallo jus ferme acquisitum sine culpâ suâ nequit auferri; quod sane fieret, licet Dominus æquivalens, aut interesse præstare vellet, cum experientia, (prout sincere monet CLUTEN c. 1. Rer. Quotid. n. 35.) in vita communis satis demonstrat, quam difficile & plerumque cum magno Disgratia periculo conjunctum sit, ut hoc extorqueatur, imo longe melius intactum servari prioris jus, quam post vulneratam causam remediū querere arg. l. ult. C. in quib. caus. in int. ref. nec non est. L. 1. C. quand. lic. unicuiq; sine jud. se vind. Notanter quoq; addendum, quod dum res seu possessio non ab ipso Domino per speciale auctum tradita est posteriori expectativario, sicuti aliás præsupponitur in L. Quoties. 15. C. de R. V. nullum etiam pinguis jus hic per suam privatam (germ. Eigennächtige) occupationem obti-

obtinerē possit; sed in pari causa & jure, prior utiq; ex iustitia civili non minūs quam aequitate naturali antecede-re debeat; quā ratione etiam in summo Cam. Imp. Judi-cio conculsum & in Praxi hoc receptum esse scribunt Dn. GALLIUS 2. Obs. 55. & Dn. à RHETZ ad 1. F. 3. p. 168. seq.

TH. XII.

Feudum antiquum licet ante 30. annos alienatum vel ab aliquo usucaptum sit, adhuc tamen intra illud tem-pus, post mortem ultimi possessoris computandum, ab Agnatis, quibus tunc demum succeſſio delata, eorumq; filiis, etiam si Pater eorum in alienationem conſenferit Dn. DECKHER Votor. Cam. Relat. VII. n. 49. seqq. utiliter vindicari potest L. 3. § 6. ibi: ex quo competere cęp. C. de Praescript. 30. ann. 2. F. 52. §. 1. § 83. Dn. MERCKELBACH ap. Klock supra nom. loc. n. 287. § 412. item Vol. 2. Consil. 14. n. 16. seqq. & Consil. 31. n. 14. seqq. necnon Dn. KLOCK ibid. Consil. 6. n. 158. seqq. Dn. STRUVIUS S. I. F. c. 15. aph. 3. n. 4. Dn. Reichenbach ad Schnob. Disp. Feud. 7. th. ult. Dn. IR-TER cit. Tr. c. 23. § 24. §. 15. Forster Praef. Petr. Müllero Disp. Inaug. de Jure Agnatorum c. ult. §. 5. Dn. Brückner Resp. Christ. Herold de Feudo informi c. 2. §. 3. p. 22. seqq. ubi novissima JCTorum Altdorff. Francof. Lipiensi. Helmstad. & Rintelensium responsa adducit.

TH. XIII.

In Imperio nostro tres tantum religiones publicē tolerari ex Art. VII. Pacif. Osiabrug. notum est, & dum Augustana Confessio communī totius Ecclesiæ Lutheranæ confensu est recepta atq; approbata; nullis sanè particularibus Ecclesiæ membris ad constringendas a- liorum conscientias ea potestas competit, ut per Rever- sales

sales aut alio modo Symbolum istud sine communi reliquorum Ecclesiae membrorum consensu pro arbitrio restringere, declarare vel extendere valeant. Quò notanter faciunt, qua meritissimus ex nostris Theologus Dn.D. SPENERUS in der Beantwortung contraD. Neumann scribit p. 242. So steht auch nit in dieses oder jenes Macht/demjenigen Symbolo, so nun unserer ganzen Kirchen Symbolum worden ist/ ohne derselben öffentlichen Consens einen weitern Verstand zu geben; nachdem ohne das auch so gar die ganze Kirch mit nichts gefährlicher umgehet/ als wo man neue Symbola machen will/ indem man in solchem Werke am leichtesten Gott in seine Rechte greissen und sich an dem Gewissen veründigen kann/ daher die außerste Bedachtsamkeit darzu gehoret/ welches aber auch von derselben verbindlichen Declarationen und extensionen zu sagen ist; cum per hoc publica tranquillitas turbari, schismata & Separationes à communi corpore facile suboriri queant.

Plura nunc addere, temporis penuria, feriarum Paschalium propinquitas, necnon itineris, aliarumq; circumstantiarum ratio prohibet, quare praesentis exercitii instituto haec, sine cuiusquam praejudicio allata, sufficiant, prolixorem singulorum deductionem alii tempori reservando, si DEUS voluerit & veritatis inquirendae necessitas hoc efflagitaverit. Interim boni bene

judicent! **DEO SOLI GLORIA.**

00 A 6336



3

56.

V D-17
Retro ✓

Farbkarte #13

B.I.G.



XXXIX.

Grata Favente Veritate!

THESES INAUGURALES EX OMNI JURE SELECT.

Decreto & Consensu

AMPLISS. FACULT. JURID. IN PERANTIQUA
UNIVERSITATE GERANÀ

PRO

LICENTIA

OVAM VOCANT, PROMOTA,
RITE, PUBLICÉ CONSECVENDA

die 20.[30] Martii, 1695, horis ante & pomeridianis
in Colleg. Major. Auditor. Jurid.

placidae Ventilationi submittit

GEORGIUS FRIDERICUS
VERGENIUS,

Spir.

ERFURTI.

Literis KINDLEBIANIS.

